



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

§. 6. Quadragesimæ ieiunium strictè obseruatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, aduersus spirituales malitias; hos oportet per sobrietatem, ad ieiunium, ad certamen exerceri. Leuius periculum est, si quis *Rhipisaspis* appelletur, quod clypeum in acie abiecerit; quam si magnam illam armaturam ieiunium videatur abiecisse.

VI.  
**QVADRA-**  
**GESIMAE**  
**IEIUNIUM**  
**STRICTE**  
**OBSERVA-**  
**TVM.**

**Psal. 26.**

Hac de causa, (vt ad historiam redeamus) in monasterio, ad quod *Zosimas* ab Angelo missus est, moris erat, vt primæ hebdomadæ ieiuniorum Dominicâ die, Ascetæ singuli diuinis sacramentis muniti, atque Christi corpore & sanguine pasti, modicoque cibo refecti, vnâ in oratorium conuenirent, & flexis poplitibus, orationeque ardenti ad Deum fusa, se inuicem consalutarent, Abbatemque amanter amplexi benedictionem solennem peterent. Patefactis inde monasterij foribus, clara voce cantantes exhibant. Cantabant autem: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo?* Vix vnus, aut alter, in rerum custodiam, domi manebat. Ceteri, aut caricas, aut palmæ fructus, dactylos, aut legumina, aut etiam nihil, præter vestem, secum efferebant, propria quadra, hoc est, thymbra & folis radicibus ac herbis victuri. Ibant autem  
 trans

trans Iordanem, non vt conchas legerent, aut vt sciuros caperent, sed ita, vt à se quisque vago pede discederent, neque vllus in alterius conspectum veniret. Nempe soli diuinis meditationibus, cantui sacro, ac ieiunijs vigilijsque tantò impensius vacare potuerunt. Sic verbis, cibis, potibus, somno, & omni solatio humano abstinentes, omnes ieiuniorum dies, asperrimè celebrabant, nec, nisi ante viuificum Dominicæ Resurrectionis diem, ad monasteriũ reuertebantur. O quantum ab his distant nostri seculi ieiunia? Multi nunc dubitant, an ad ieiunia obligentur; multi cum vel noctu se se maximè abstinere, existimant, tantùm panis, opsonij, aut lactucæ absumunt, quantum illi sanctissimi viri, cum sunt, in ipsa Paschatis festiuitate, epulati. Multi potu famem suffocantes, quia ne buccam quidem panis, inter bibendum, attingunt, de ieiunio sibi plaudunt, postquam, vna computatione viginti quinque albæ cereuisiæ mensuras, per vnum ventrem percolarunt. Nempe apud eos, apud quos, *qui plus biberit, fortior computatur: vomunt, vt bibant, bibunt, vt vomant*, ait S. Hieronymus, & sæpè etiam, vt animam euomant.

P

Zosimas

S. Hieronymus in ep. ad Tit. c. 11